

/ Clarissime vir, amice charissime. Accepi litteras tuas datas XVIII Septembris. Accepi non diu post viginti quinque exempla libelli mei de Ascensione mentis in Deum, una cum orationibus S/ti Asterii, et opusculis D. Philippi Rubeni. Habeo gratias pro omnibus, quamvis non cupivissem ut sumptus faceres, in libris tam multis, et tam procul mittendis. Mitto nunc ex consilio P. Gulielmi nostri libros quinque de aeterna felicitate sanctorum, quod Septembri proximo elapso, in meo solito recessu conscripsi. Mitto autem duplici de causa, primum ut rem gratiam tibi faciam: deinde ut prima editio novi /0 hujus opusculi ex officina Plantiniana, quae omnibus aliis praestat, prodire possit. Ego enim nulli alteri manuscriptum opusculum communicabo, neque hic Romae excudi permittam, nisi forte italico idiomate: et si cogar ab amicis etiam latine hoc opus typis mandare hic in Urbe: id non faciam, nisi posteaquam libri manuscripti ad te /5 pervenerint. Itaque latina editio Romae aut non prodibit, aut non ante finem Januarii prodibit: ex quo fiet, ut neque a Lugdunensibus, neque a Coloniensibus recudi possit ante finem Februarii. Curabo hic Romae indicem addi <sup>rerum praecipuarum</sup> vere in italica editione. quod si etiam a vobis fieret, non ingratum esset. Vale vir clarissi- /0 me, et mea opera si in aliqua re tibi utilis esse poterit, fidenter utere. Si censor librorum istic aliquid corrigendum putaverit, quod non facile mihi persuadeo, ut corrigas per me licet. Datum Romae die 4 Decembris 1615.

Dominationis tuae

Addictissimus

Robertus Card/lis Bellarminus.

Ut ad me mittas duo vel tria exempla, satis erit. Si plura miseris, vendi poterunt a tuis, quia in Romanam editionem nullum privilegi- legium addetur.

30 (adresse): Clariss/o viro D. Balthassari Moreto, typographo Antverpien. Amico chariss/o. - Antverpian. (cachet)